in vias et saepes et compelle intrare ut impleatur domus
mea. Dico autem vobis quod nemo virorum illorum qui vocati
sunt gustabit cenam meam. Ibant autem turbae multae
cum eo et conversus dixit ad illos: Si quis venit ad me
et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et
fratres et sorores adhuc autem et animam suam non potest
meus esse discipulus. Et qui non baiulat crucem suam et venit
post me non potest meus esse discipulus.
Quis enim ex vobis volens turrem aedificare non prius
sedens computat sumptus qui necessarii sunt si habet
ad perficiendum, ne posteaquam posuerit fundamentum
et non potuerit perficere omnes qui vident incipiant
inludere ei dicentes: quia hic homo coepit aedificare
et non potuit consummare. Aut quis rex iturus commit
tere bellum adversus alium regem non sedens prius
cogitat si possit cum decem milibus occurrere ei qui cum
viginti milibus venit ad se. Alioquin adhuc illo longe
agente legationem mittens rogat ea quae pacis sunt.
Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quae
possidet non potest meus esse discipulus. xxi
BONUM EST SAL. SI AUTEM SAL QUOQUE EVANUERIT
in quo condietur? neque in terram neque in sterquilinium
utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi
audiat. Erant autem appropinquantes ei publicani
et peccatores ut audirent illum. Et murmurabant pha
risaei et scribae dicentes: quia hic peccatores recipit
et manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam istam
dicens: Quis ex vobis homo qui habet centum oves et si per
diderit unam ex illis nonne dimittit nonaginta novem
in deserto et vadit ad illam quae perierat donec